





DE  
FEVDORVM ORIGINE <sup>695</sup> 25

NONNVLLA TRACTAT,

ET SIMVL <sup>1773, 7.</sup>

PRAELECTIONES,

QVIBVS PER INSTANS SEMESTRE OPERAM

NAVABIT,

I N T I M A T

CHRISTIANVS WOLHARD STEIN,

I V R . C A N D .



---

ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.

DE  
TEVORVM ORIGINE  
NONNIVLLA TRACTAT  
ET SIMIL  
PRAELECTIONES  
QUIBUS PER INSTANS SEMESTRE OPERAM  
NAVANT  
IN T I M A T  
CHRISTIANVS WOLHARD STEIN  
VIA GARD



---

ROSTOCK  
LITTEBIS ADERIANE



Origines rerum scrutari, est res, non minus homine digna, quam utilis. Rationi enim, quam benignissimus Vniuersi Moderator animis nostris indidit, vi essentiae suae id datum est negotii, ut causas rerum inuestiget, nexumque inter eas et causata perspicere studeat; in causa vero quaelibet res finita originem suam agnoscit. Quid autem dignius esse potest, quam vires nobis largitas in eum intendere scopum, cui adsequendo per naturam atque essentiam suam sunt destinatae. Nec minus utile est, origines rerum indagando persequi. Natura enim rei est genuina eius qualitas non melius potest cognosci, quam si initiis rei insistas, rem quasi in cunabulis contempleris, et usque ad fontem remeas. Locupletissimi testes hic sunt tum communis experientia, tum scientiae literaeque. Annon omni caret dubio, eum, qui iustum et a veritate minus abhorrens de actionum humanarum moralitate ferre cupit iudicium, non ex externa earum specie illud formare debere, sed potius in causas mouentes scilicet elateres, quos vocant, inquirere, et ex scaturigine, vnde promanant, eas aestimare? Quam multae enim actiones sat speciosae et splendentes fucum amittunt, si ad fontem suum, tanquam ad lydium lapidem, exigantur, et rationes,

quae agenti calcar addiderunt, detegantur. Quam multae  
 e contrario nil magnifici, nil splendidi prae se ferentes, in  
 origine spectatae innocentia sua coruscant. Si scientias spe-  
 ctemus, quem, vel mediocriter in historia literaria versatum,  
 fugere potest, quantum incrementi semper literae ceperint,  
 ex quo cultores earum omnem mouerunt lapidem, vt origi-  
 nes perscrutarentur, et cognitionem rei quasi ex propriis fon-  
 tibus deriuarent? Luculenter id patet ex historia iuris publici  
 Germanici literaria. Veteres enim iuris publici Germ. Do-  
 ctiores, qui ante *Hermannii Conringii* tempora vixerunt, ne-  
 glectis genuinis fontibus, ex Jure Romano et Canonico illud  
 fere vnice hauriebant, ex quo, cum status reipublicae Ger-  
 manicae longe alienus sit a principiis istorum iurium peregrini-  
 norum, non potuerunt non maximae oriri confusiones, et  
 misera enasci doctrinae iuris publici facies. Quum vero *CON-  
 RINGIVS*, magnum illud eruditorum Germaniae sidus, alia  
 via incedendum esse, in tractanda iuris publici Germ. prudentia,  
 monstraret, et ipse praeiret, naturam status publici et  
 originem negotiorum publicorum ex historia Imperii eruendo;  
 eodemque tempore *Samuel DE PVEENDORFF*, vir domi-  
 nis celebritate non minus, quam profunda eruditione, conspi-  
 cuus, vsu iuris publici vniuersalis iuri publ. particulari Ger-  
 maniae magnam adfunderet lucem, omnia ad principia reuo-  
 cans: laetior iuris publici prudentiae illuxit dies, quae maiori  
 eam admouebat perfectioni per studia *Henrici DE COCCHEII*  
 et *G. G. TITII*, virorum de iurisprudencia tam naturali quam  
 positua immortaliter meritorum, indefessa. Ille enim opus  
 a Conringio coeprum perficiendo, vsu historiae in iure pu-  
 blico magis magisque eleuans, a prima origine res repetit;  
 hic vero, ad philosophandum quasi a natura factus, Pufen-  
 dorffii methodum magis excoluit, et sano philosophiae vsu  
 doctrinam iuris publici ad maiorem perfectionis gradum  
 euexit: donec tandem per accedentes conatus *Illustris I. I.  
 MOSERI* aliorumque virorum, longe supra laudes meas posi-  
 torum, ad id fastigium elata est, in quo hodie effulget a).  
 Facile

\*) Conf. *Hallsche Beytraege zu der iuristischen gelehrten Historie*, II,  
 Band Vres Stück num. III. pag. 39. seqq.

Facile hinc est ad animaduertendum, et jurisprudentiae feudali maxime inde consuli, si inuestigetur, a quibus initiis ducta sit rei feudalis ratio. Cui argumento illustrando cum iam operam dederint THOMASIVS *b)*, GEBAVERVS *c)*, G. L. BOEHMERVS *d)*, aliique viri doctissimi, hac de re nonnulla tantum hic delibare, praeflectionibusque sub calcem indicandis praemittere inuat, ostendendo simul usum, ad Jurisprudentiam feudalem inde redundantem.

Feudorum originem non in moribus gentium communibus, nec in iure patronatus Romanorum, nec in comitatu veterum Principum Germanicorum *dd)*, nec in institutis antiquorum Gallorum quaerendam, sed a Francis eorumque beneficiorum repetendam esse, post THOMASIVM *e)* ostenderunt LVD. ANT. MVRATORIUS *f)*, et GEO. LVD. BOEHMERVS *g)*. Licet enim aliqua adsit conuenientia inter negotia aliis Gentibus vsitata et inter feuda: inde tamen origo feudorum reperi nequit, quia non ea in istis deprehenduntur requisita, quae in feudo adesse debent. Habebant quidem Romani suos clientes, Germanorum Principes suos comites, (quorum praecipuum sacramentum erat, defendere principem, eum tueri, sua quoque fortia facta gloriae eius assignare) *h)*, Galli

*b)* in *Originibus feudalibus*.

*c)* de *Originibus feudi qua vocem, qua rem. non externis, sed Germanicis.*

*d)* in *Observationibus Juris feudalis, Obs. II. III. et IV.*

*dd)* de quo vid. GE. CHR. GEBAVER de *comitatu principum Germanorum.*

*e)* in *diff. cit.*

*f)* in *diff. de allodiis, vassis, vassallis et beneficiis, quae extat in eius antiquit. Ital. T. I. diff. XI. p. 549. seqq. et apud IENICHTVM in thesauro iuris feud. T. III. pag. 242.*

*g)* *loc. cit. Obs. II. de feudis ex veterum Francorum beneficiis enatis, et Obs. III. de natalibus fidei vasalliticae.*

*h)* teste TACITO de *moribus Germ. c. XIV.*

Galli suos Soldurios, (quorum conditionem IUL. CAESAR *i*) ita describit, vt omnibus in vita commodis vna cum his fruatur, quorum se amicitiae dediderint: si quid iis per vim accidat, aut eundem casum vna ferant, aut sibi mortem consciscant) qui omnes ad fidelitatem praestandam obligati erant: sed haec, quam debebant, fidelitas tantum personalis erat, non vero intuitu bonorum praestabatur, vt fidelitas feudalis; hinc ista instituta a feudis longe differunt. Rectius potius feudorum natales arcessuntur a veterum Francorum beneficiis. Mos enim erat Francorum Regibus, bona publica, ob nummorum raritatem, intuitu officii vtenda fruenda dare, et *ius vtendi fruendi praedio pro officio concessum*, dicebatur *beneficium*. Haec beneficia referebant se ad officia, hinc finito officio beneficium quoque extinguebatur. Quamquam vero *ius vtendi fruendi praedio tantum concedebatur*: simul tamen *ius, substantiam fundi meliorem reddendi*, complectebatur *ii*). Ministri, quibus officia demandabantur, apud Francos audiebant *Vassi* s. *Vasalli*, etiam *Ministeriales*, et officium *Vassi* *Vassaticum* dicebatur. Licet vero *Vasallis* plerumque data fuerint beneficia, hoc tamen non opus erat ad constituendum *Vasallum*, sed sola obligatio ad munus obeundum *Vasallum* efficiebat. Testantur enim monumenta medii aevi, *Vasallos* nonnunquam beneficio praeditos non fuisse *k*.) Ad Fidelitatem praestandam *Vasalli* iuramento obstringebantur, quo promittebant, *eorum ope nihil factum iri, quo eius, cui obnoxii erant, salus laederetur, totosque se futuros in auertendis laesionibus, quibus istius salus, vita, honor, bona in periculum vocarentur l*). Haec vero fidelitas erat tantum personalis, quippe non propter beneficium *Vasallo* concessum, sed propter officium, praestanda.

## Varia

- i*) De bell. gall. Lib. III. c. 22.  
*ii*) Capit. II. Caroli M. a. 813. c. 4. apud Dn. GEORGISCH in Corp. iur. Germ. antiqui p. 777. Vt hi, qui beneficium nostrum habent, bene illud immeliorare in omni re studeant.  
*k*) Conf. MONACHVS SANGALLENSIS de gestis Caroli M. Lib. I. c. 32. a Boehmero allegatus Obs. II. cit. §. III.  
*l*) BOEHMER I. c. Obs. III. §. I.



Varia autem fuere apud Francos beneficiorum genera pro diuersitate tam officiorum, intuitu quorum concedebantur, quam Dominorum concedentium. Alii enim vassallorum *militaria* subibant officia, alii in aula regia *palatina*, alii in administrandis regendisque districtibus et prouinciis *praefectorialia*; alii erant *Regum* vassalli, alii *procerum*: hinc beneficia *militaria, palatina, praefectorialia, immediata, mediata*.

Haec vero Francorum veterum beneficia non erant eadem cum feudis, licet posteriori aetate haec ex iis efformata sint; sed magna deprehenditur differentia inter beneficia et feuda, simili fere ratione, qua adhuc hodie feuda a beneficiis ecclesiasticis differunt. Beneficia enim tantum pro determinato officio, a Vassallo s. Ministeriali obeundo, stipendii loco, in remunerationem fidelitatis praestandae, dabantur, feuda posterioris aevi vero non pro officio, sed sub nexu fidelitatis praestandae: officium demandatum efficiebat Vassallum, non largitio beneficii, quod fecus in feudis, quorum sola concessio Vassallum constituit: fidelitas porro, ad quam praestandam Vassallus beneficiarius apud Francos obligatus erat, personalis tantum fuit, propter susceptum officium exhibenda, sed Vassallus feudatarius intuitu rei in feudum datae ad fidem obstringitur: iuramentum denique fidelitatis *in beneficiis ob officium demandatum* exigebatur, sed *in feudis ob praedium feudale concessum* a Vassallo exigitur.

Successu vero temporis ex his beneficiis feuda sunt efformata, et magnam veri speciem habet, id factum esse, ex quo successio haereditaria in beneficiis introducta est. Beneficia Francorum enim, cum tantum ratione officii ad instar stipendii concedebantur, finito officio exstinguebantur, et tamdiu quis fruebatur beneficio, quamdiu officio fungebatur. Licet enim *Carolus Crassus* a. 877. sanciret, vt vassorum Vassallorumque filii ex ipsius concessione beneficiis parentum honorarentur; et vt Fideles sui idem aduersus homines suos seruantur: inde tamen nondum haereditaria facta sunt beneficia, cum tantum vi nouae concessionis, non autem successionis  
iure

iure ad filios transfrent, vti obseruauit BOEHMERVS *m*) Mos tamen inde inualuit, ne filii beneficiis parentum priuarentur; donec CONRADVS SALICVS, constitutione peculiari a. 1037. lata, *ius succedendi in beneficiis militum maioram et minorum filiis et nepotibus plenius firmaret.* *n*) Quum vero beneficia iure haereditario in successores transfrent, eam induerunt faciem, quae in feudis conspicua est. *Inde videlicet euenisse censemus, scribit laudatus BOEHMERVS o), vt beneficia iure haereditario in successores translata, in hos non nisi sub lege agenda militiae transfrent, utique illud, quod olim debebatur iure officii, iam ex ipsa concessionis lege praestaretur, indeque beneficia rationem officiorum stipendiorumque propter officium habere desierint, et fidelitas ipsa, olim vi officii praestanda, iam cum ipsis bonis beneficiariis connexa, horum intuitu praestari coeperit: in quibus omnibus vera feudorum ratio continetur.*

Introducenda vero initio est successio haereditaria tantum in beneficiis *militaribus*, iisque quodammodo similibus, *praefectorialibus*, quippe pro officio in regenda et tuenda regione concessis. Reliqua autem beneficia, ob officia in aula, iudicio, aliisque casibus in honorem Domini praestanda, pristinae beneficiorum indolem adhuc retinuerunt, et eiusmodi beneficia possidentes in sensu speciali vocabantur *Ministeriales*. Hinc eo tempore duplex nata est ratio bona concedendi, altera *feudalis*, altera *officialis*. Qui enim ad seruitia militaria ob praediorum possessionem obligati erant, *iure feudali* praedia tenebant, quae illis sub lege agenda militiae concedebantur, et eorum obligatio ad fidelitatem praestandam bonis inhaerebat, et erat *realis*; hinc successores omnes, ad quos bona ista deuoluebantur, eadem obligatione obstricti erant. Ii autem, qui intuitu officii non militaris praedium aliquod acce-

*m*) *loc. cit. Obs. II. §. VII.*

*n*) Existat haec constitutio in *lib. V. Feudorum*, vbi primum occupat locum.

*o*) *alleg. loco.*

acceperant, iure officiali illud tenebant, et secundum ius curiae  
*f. nach Hofe Recht* possidere dicebantur, et bona iis indulta  
 rationem stipendorum pro certo officio habebant, quum in  
 remunerationem ministerii specialis Domino praestandi con-  
 cessa erant. Lucem accipit haec distinctio inter bona iure  
 officiali et iure feudali concessa ex *vetere auctore de beneficiis*,  
 p) ubi dicitur: *Quicquid homo non suscipit per hominum, non  
 iudicetur esse beneficium; sicut cum bona concedit dominus suis mi-  
 nisterialibus non per hominum, sed secundum ius curiae. Haec  
 concessio caret beneficii iure, sed est concessio officialis.* — Pro-  
 cedente vero tempore et haec beneficia non militaria naturam  
 feudorum induerunt, postquam et in illis successio haeredita-  
 ria paulatim introducta est. Ex eo enim tempore Ministeria-  
 les officia, quae antea obligatione personali debebant, intuitu  
 praediorum praestare coeperunt. Inde vero euenit, ut discrimen  
 inter beneficia ministerialium et feuda tandem prorsus  
 euanesceret, et diuersae orirentur feudorum species, cum a  
 nonnullis *seruitia militaria*, ab aliis vero *seruitia non militaria*  
 debentur.

Talismi modi erat prima feudorum origo, quae deinde ma-  
 iora cepit incrementa per frequentes allodiorum in feuda ob-  
 lationes. Factum enim saepissime est insequentibus tempori-  
 bus, maxime iis, quibus dissidationes in Germania apud no-  
 biles in usu erant, ut possessores praediorum, quo ab aggressi-  
 onibus et latrociniiis securi praestarentur, ea Potentioribus  
 in feudum offerrent, et consultius ducerent, particula qua-  
 dam dominii carere, et sub alterius cuiusdam potentioris tu-  
 tela et patrocinio aduersus insultus et vexationes hominum  
 male feriarum defendi, quam imbecillitati suarum virium  
 vnice relictis possessiones suas ab hostibus et grassatoribus in-  
 iuria occupatas videre. Ut deuotionem erga ecclesiam, tunc  
 temporis hominum mentibus alte infixam, cui plurimae feu-  
 dorum oblationes ecclesiis factae originem suam debent, alias-  
 que rationes, quae vel Vasallos ad offerendum, vel Dominos  
 dire-

p) C. I. §. 130.

B

directos ad accipiendum bona oblata impulerunt, taceam, quas late persecuti sunt HERTIVS *q*) et THOMASIVS *r*).

Origine feudorum curatius perspecta, toti iuris feudalis prudentiae lux adfunditur, id quod paucis adhuc ostendam. *Primo* inde clarescit, cur feuda in dubio sint masculina et foeminae a successione in ea arceantur. Feuda enim in prima origine spectata erant institutum militare, et sub ratione militiae agenda concedebantur; quum, uti in antecedentibus ostensum, successio haereditaria, et cum ea vera feudorum ratio, initio tantum in beneficiis militaribus introducta est, nec *feudum rectum* censebatur, nisi sub lege militiae datum, ut patet ex *iure feud. Alem. rr*). Qui ergo militiae non erant capaces, nec habiles erant ad succedendum in feuda. Hinc ad naturalia feudorum pertinet, masculos tantum, exclusis foeminis, in illa succedere. Et cum naturalia semper praesumantur, nec probatione indigeant: sequitur, illum, qui in qualitate feudi masculina fundamentum suum agendi collocat, fundatam habere intentionem, nec onere probandi grauandum, sed ab eo liberandum, et commodo possessionis beandum esse. Aliter vero se res haberet in feudo foeminino, quippe quod communi feudorum naturae repugnat. Hoc enim, quum non omnia feudi naturalia salva ei insint, ad feuda impropria pertinet. Quum autem praesumptio semper contra feudum improprium capienda sit: sequitur, onus probandi in illum, qui contendit, feudum esse foemininum, deoluendum esse, eumque commodo possessionis interim priuari debere, donec qualitatem feudi foemineam liquido docuerit *s*).

Nec

*q*) de feudis oblati P. I. §. 4 — 14.

*r*) in *diff. de feudis oblati* Cap. I. §. XI. seqq.

*s*) c. 113. ubi dicitur: *welch Gut dem Mann ohne Mannschaft geliehen wird; das heist nüt recht Lehn*; ubi per vocem, MANSCHAFT, denotatur fides in seruitiis militaribus praestandis, qui etiam est significatus vocis: *hominii*, BOEHMER l. c. Obf. IV. §. 2.

*s*) *Conf. C. H. MOELLER in primis lineis vsus pract. distinct. feudulium* Cap. IV. *distinct. 4. p. 130.*

Nec minus II. ex ratione originis feudorum intelligitur, cur de feudis praestanda sint seruitia, et in regula quidem militaria. Beneficia vererum Francorum enim, ex quibus feuda enata esse diximus, pro certo officio obeundo, stipendii loco, concedebantur. Et quum postea beneficia ad haereditates transire coepissent, et in feuda transformarentur, obligatio, quae antea personalis fuerat, euadebat realis, et bonis annexa. Hinc quilibet possessor intuitu praedii ad seruitia praestanda obstrictus erat. Et quia mutatio beneficiorum in feuda primum in beneficiis, propter *militare officium* datis, contigit, et bona sub lege militiae agenda data, speciali feudorum nomine insigniuntur: sequitur, in regula de feudo militaria praestanda esse seruitia, eaque feuda, de quibus seruitia militaria non debentur, ad feuda impropria referenda esse, quum in iis naturae fidelitatis vasalliticae derogatum sit.

Supereft, HONORATISSIMI DOMINI COMMILITONES, vt praelectiones, quibus per instans semestre vacare, mihi mens est, indicem. Eas b. c. D. ita, sum adornaturus, vt

*Institutiones iuris ciuilibus ad ductum Elementorum HEINECCI* explicem hora XI. — XII. antemerid.


*Ius feudale tradam, secundum illustris G. L. BOEHMERI Principia iuris feudalis, praesertim Longobardici, quod per Germaniam obtinet, hora III. — IV. pomerid., iis quoque, qui ius criminale, praeeunte ENGAVIO in elementis iuris criminalis Germanico-Carolini, doceri praeoptant, morem gesturus.*

Initium praelectionum erit d. 13. huius mensis. Faxit summum Numen, vt omnia cedant in sui nominis gloriam, et proximi emolumentum. Scribeb. Rostochii, d. VI. Nonarum Octobris, Anno aerae christianaec MDCCCLXXIII,












Rostock, Diss, 1759-76

X 228 42 89





DE  
FEVDORVM ORIGINE <sup>695</sup> 25  
NONNVLLA TRACTAT,  
ET SIMVL <sup>1773, 7</sup>  
**PRAELECTIONES,**  
QVIBVS PER INSTANS SEMESTRE OPERAM  
NAVABIT,  
I N T I M A T  
CHRISTIANVS WOLHARD STEIN,  
IVR. CAND.



---

ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.